

nos appellationem retinuimus. Tamen quis fuerit hic Tertullus, neque quando primùm cœperit, ubi recepta vel propagata sit, quandiu perstiterit hæc hæreticorum secta non reperio apud probatos ullos authores, quibus à me fides habeatur, aut quorum auctoritatem aliis ipse commendare vel possim, vel audeam. Dogma igitur istorum hoc fuit, Sceleratorum hominum animas conuerti in dæmonas ipsos siue diabolos: vel in animantia iis vitiis & ei turpitudini similia, cui ipsi viuentes addicti fuerint. Atque hanc sententiam & *μετεμψύχωση* potius, quàm *μετενομήτωσι* ex Pythagoreorum primùm, pòst autem Manicheorum & Priscillianistarum (qui Pythagoreorum etiores secuti sunt) deliriis sumptam esse docet cùm Diogenes Laert. in vita Pythagoræ, tum Augustin. ipse libro septimo de Genes. ad liter. cap. 9. & 11. Quam Claudian. poeta pulcherrimè libr. 2. in Ruffin. his versibus expressit,

*Nam iuxta Rhadamantus agit, cùm gesta superni*

*Curriculi, totòsque diu prospexerit aëtus,*

*Exæquat damnum meritis, & multa ferarum*

*Cogit vincla pati: truculentos ingerit vrsis:*

*Prædonésque lupis: fallaces vulpibus addit.*

*At qui desidia semper, vinoque grauat*

*Indulgens Veneri voluit torpescere luxu,*

*Hunc suis immunda pingues detrudit in artus.*

*Qui iusto plus esse loquax arcanaque suenit*

*Prodere, piscosas fertur victurus in vndas,*

*Vt nimiam pensent æterna silentia vocem.*

Nec tamen mirum est ista ab hæreticis recipi & recoqui ex impiis philosophorum insomniis, cùm Euseb. lib. 5. de vita Constantini figmēta Platonis, cc. iiii.